

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

vivos ac mortuos. De hac re Dominus curabit. Nos nostrum officium faciemus, & expectabimus adventum Domini. Nec dubito, quin Dominus ita favoreat vestræ Ecclesiæ, & Politicæ, ut inspiraturus sit vestro magistratui consilium, quo isti dissidio in tempore obviam eatur. Tu cave, ne ecclesia publicè à te aut tuis collegis, pro communione, audiat, quid sit inter vos certaminis in Schola. Spero enim futurum, ut hoc malum non serpat latius apud vos. Bene ac sæliciter vale. Studtgardia, die 16. Maji Anno 1561.

Jo. Brentius.

XXIII.

Salus in Christo.

Quas ad me dedisti, literas, Frater in Christo reverende, accepi, easque perlegi. Intellexi autem ex iis, sedulo te facere, ut conjunctio benevolentia nostræ, quæ propter commune nobis officium intercedit, diu possit inter nos salva esse, & firma. Idque etiam apparet ex ipsa diligentia, quam in conscribendis ad me epistolis de vestrarum rerum statu adhibes summam. Quæ tua voluntas à meâ sanè voluntate prorsus non est aliena. Nihil enim cupio, nisi ut cum fide Ecclesiæ DEI Ministris, sanæ doctrinæ sociis, possim esse familiaritate conjunctus. Quorum in societate cum tu quoque verferis: meritò fovendam inter nos esse, & perpetuò conservandam nostram amicitiam censéo. Libellus tuus, quem per Scholasticum quendam superiori tempore ad me misisti, & literæ etiam, ad me pervenerunt. Legi equidem istum libellum tuum summo studio, & non sine mediocri voluptate: & placet mihi vehementer: cum propter ipsum authorem, quem scio esse Virum doctum, excellentem, pium: tum etiam propter nativam cenæ Domini sententiam, quæ in eo rectè, perspicuè, & verè explicatur. Nec mihi soli placuit, verum etiam toti nostro conventui, cujus etiam, posteaquam benè ego, & accuratè cognovissem, subjeci judicio atque censuræ. Primum igitur gratias esse DEO agendas censemus, qui semper excitare solet in Ecclesia suos pios Ministros, quorum opera ad prædicandam veram doctrinam, & ad refellenda impia Adversariorum dogmata, utitur.

Deinde etiam tuum nos laudamus laborem, quem ea in re posuisti, utilissimum. Addo illud etiam, quod non minus certè nobis gratum est, in aliis quoque Ecclesiis florere, sonare, scriptisque defendi eam doctrinam, quam nos multos jam annos uno omnes ore in Ecclesiis nostris apud Argentin-

tinen-

tinenses confessi sumus, & constanter etiam DEI beneficio deinceps fatebimur.

Scholasticus autem ille, qui librum ad me attulit, hodie apud nos manet, & susceptus à me est in Collegium Wilhelmitarum. Ibi cum cæteris vivit, & officii sui partes ita, ut eum facere oportet, pro muneris sui ratione, diligenter adhuc tuetur.

Porrò de Hardenbergo tum ex tuis literis, tum ex aliorum sermonibus accepimus, quantos motus excitaverit in Bremensium Templis, & nisi mature huic malo occurrisset status inferioris Saxoniae, non est dubium, quin ad alias quoque Ecclesias ea pestis emanasset. Itaque & mihi, & aliis bonis Viris, atque prudentibus, valde probatur ista ratio statuum; quod remoto ipso ab officio, tranquillitati nunc Bremensis Ecclesiae, & totius etiam Saxoniae consuluerint. Si idem fieret etiam aliis in Ecclesiis, fortasse minus nobis turbarum nunc restaret.

De Synodo Tridentina magnum hic est silentium. Fuerunt quidem Pontificis Legati apud nos, & sollicitarunt nostrum Senatum ad concilium novum. Senatus verò Argentinenſis parùm eos reverenter excepit: & quantum ad id pertinet, propter quod maximè adfuerunt, nullum aliud responsum abstulerunt, præter hoc ipsum, quod in Comitibus Naumburgensibus à Principibus eis est datum. Itaque dimissi sunt. Jam verò omnes credunt, illam Synodum non habituram esse suum successum. Quod ad communem rerum statum attinet, apud nos omnia sunt mediocria & tranquilla. Magistratus veræ religioni, quæ in Augustana Confessione est contenta; deditus est & Ecclesiae Ministris favet, eosque quantum potest, juvat. Nisi quod Collega quidam meus, Hieronymus Zanchus, Italus, & qui hætenus publicus fuit in nostro Gymnasio Professor, nova quædam in suis lectionibus sparsit dogmata, quorum error maximè positus est in doctrina de prædestinatione. Quæ res, ad turbarum occasiones inclinare visa est: sed intercessione & Collegii nostri, & Senatus etiam, turba ista sopita est. Hæc habui, quæ rescribere jara volui. Benè & feliciter vale. Datum Argentorati 8. Julii anno 1561.

Tuus Frater

Johannes Marb. D.

Inscriptio:

*Reverendo Viro, Eruditione, Virtute, & Pietate præstanti,
Magistro Martino Kemmitio, Ecclesie Braunsuicensis Ministro
fidelissimo, Fratri & Amico suo amantissimo.*

XXIV,